...sitius

Zrzodliński Casimiri: Excelsus in regno Sapientiae honos D. M. Bar. Olszyński – collatus.

EXCELSUS
IN REGNO SAPIENTIÆ
HONOS,

Perillustri, Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. BASILIO OLSZYNSKI,

COLLEGÆ MAIORI, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI AC PROFESSORI, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI CANONICO, atq; CONCIONATORI, CANCELLARIO Siradiensi, CURATO Nasiechovicensi, Contubernij Sisiniani PROVISORI.

DVM

In Alma Academia Cracoviensi,

PRO LOCO

Inter Perillustres, Clarissimos & Admodùm Reverendos DD.

Sacræ Theologiæ Doctores ac Professores,

RITU SOLENNI

In facie Vniversorum Augusti Lycei Iagelloniani Ordinum atq; in Nobilissima Magnorum Hospitum frequentia

RESPONDERET,

COLLATUS:

NEC NON

Debitæ Venerationis & Applausûs Gratulatorij ergô

A

M. CASIMIRO ZRZODLINSKI,

In eadem Celeberrima Vniversitate, Philosophiæ Doctore, ejusdemq; Professore,

Concentu Lyrico

CELEBRATVS,

Anno Domini, M. DC. XCI. VI. Idus Iulij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

CONCENTVS LYRICI DEDICATIO.

INnata modestia, & ipsa solidæ conciliatrix Sapientiæ, animi demissio Tua, quanquam volitare per ora Virorum, nunquam affectaverit, semper autem recusaverit; hodie nihilominus, summo coronata honore, saltem clientum, exilibus encomiis, exornari patietur. PERILLVSTRIS, CLARISSIME & ADMODÙM REVERENDE DOMINE DOCTOR, & MECÆNAS AMPLISSIME. *Quis enim, Tua expertus beneficia, Harpocraticum seu Pythagoricum, velit servare silentium, quando Vniversi Almæ istius Academiæ Ordines, fidi amici, & eximij Viri, honori Tuo faventissimi, videntur in mille vota & gaudia abivisse? Fateor, infra magnitudinem gloriæ Tuæ hunc meum Concentum Lyricum esse; cæterùm affectûs mei conatum, mole exiguum, sed observantiâ Tui plenum pro Tua summa humanitate & in me gratia, non repudiabis. Perstringit oculos mentemq; meam, eruditionis Tuæ reconditioris Maiestas, & operis exiguitas, in celebrem Sapientissimorum Virorum conspectum prodire reformidat; difficile tamen est, venerationi Amplissimi Nominis Tui, non parere, & quamvis in bicipiti Parnasso somniâsse me non meminerim, cum Phœbo tamen & Musis, excelsæ, in Regno Sapientiæ, dignitati Tuæ non applaudere. Suscipe itaq;* PERILLVSTRIS & ADMODÙM REVERENDE DOMINE, *minima hæc grati animi libamina, Pieridesq; meas Tibi in occursum cum plectris tenuibus prodeuntes, permitte in conspectu Tuo Castaliâ testudine, de Te, quàm optimè mereri, honoreq; sublimi in avito Sapientiæ Regno, virtute, labore, ac meritis parato, quem nec Iovis ira, nec ignes nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas, longævus cum gloria perfruens, finem Nestoreæ, precor egrediare senectæ.*

Perillustris, Clarissimæ & Admodùm Reverendæ Dominationis Vestræ,

Cliens æternùm devotus,

M. CASIMIRVS ZRZODLINSKI,
Philosophiæ Doctor & Professor.

EXCELSUS
In Regno Sapientiæ
HONOS,
ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.

PRæcelſa Phœbi ſcandere culmina,
Necnon Supremas tendere in exedras,
Quicunq; de Viris anhelat,
Huic probitas placeat, laborq;.

Nam Diva virtus, ducit in aream
Auguſtioris Nominis, inclytos
Miſcendo mortales Deorum
Ordinibus, celebriq; cætûi.

Adjunctus illi continuus labor
Comes fidelis, nexu adamantino,
Gradu ſecundo, gloriosè
Provehit innumeros in altum.

Proles Philippi ſummaq; gloria,
Nutrita fauſtis ſub penetralibus,
Famoſa adeptis tot triumphis,
Herculeos coluit labores.

Vt illa magni portio Nominis
Sibi daretur munere diviti,
Thronusq; ſublimis paratus,
Cederet uberiore cenſu.

Doctum Platonem vilis inertia,
Nec delicatum protulit otium,
Ad æviternam gloriam; ſed
Sedulitas animiq; virtus:

Hâc arte binâ, VIR CELEBERRIME
Subnixus augem Nominis inclyti
Conſcendis, OLSZYNSKI labore,
Cum probitate ſatis decorus.

Virtutis in Te, qui ſpecimen Tuæ
Videre vellet, non opus ut ſuos
Attollat enixè hic ocellos;
Lumine ubi proprio coruſcas.

En vix

En vix Tibi auras luminis ignei,
Lucina clemens ſanctaq; viſere
Conceſſit, & mox plurimarum,
Splenduit ignea flamma dotum.

Adhuc tenellus Matris ab ubere,
Iam digna portas munera Palladi,
Mentemq; profers eruditis
Frontibus, atq; parem Stagiræ,

Ætate primâ ſic poſitâ bene,
Phœboq; Sacrâ, mox Academicos
Petis receſſus, & Parentem
In Studio Craciam ſalutas.

Muſis amicum, Pegaſei chori,
Apollo Thymbræûs, Te ſibi deligit
Plectro Camænarum peraptum,
Fatidicis ſociauit aris.

Plenè rigavit Caſtalijs aquis
Os eruditum, Te Sapientiæ
Formando Divinæ aptiorem,
Vatibus adnumeravit ipſis.

Non hîc ſtetiſti, ſed magè paſſibus
Amplis, ad auguſtal Polyhymniæ
Contendis, illuc quò improbus Te
Ille labor, Studiumvé ducit.

Hinc jam Minervæ, noſcere fas erat,
Quis Tu futurus? quantus erat Tibi
Mentis vigor! cûi conſecrârunt
Flexanimæ Charites lepôrem.

Mox eloquentis gratia copiæ,
Ab ore manans nectare melleo,
Dulcorat in Te Tulliani
Eloquij ſapidos liquores.

Quando ille, Suadæ Craciacæ decus
DZIEDZIC Profeſſor, Sarmaticæ dedit
Pubi fluenta gratiarum,
Te imbuit eloquio venuſto.

Lycea poſt hæc publica, Te ſibi
Optant alumnum Stoaq; Nobilis
Pandit Cathedras laureatas,
Teq; ſuâ recipit Palæſtrâ.

Hac

Hac in Stagira MAKOVIVS Tibi
Præit celebris prodromus, in via
Curſûsq; ſat laborioſi,
Te Stadio facit ire docto.
Audire fas eſt, Nicomachi Patrem,
Sub erudita claſſe Docentium,
Lubetq; lampadem Cleanthis,
Sumere pro placida quiete.
Hæc ſunt laboris principia anxij,
Quem reddidiſti per Studium frequens,
Dulcem: ſimul Virtute clarus,
Præmia cara Tibi capeſſens.
Quod ſi Poëtæ credimus inclyto,
Paulùm ſepultæ diſtat inertiæ
Occulta Virtus: debet ergo
Purpureâ radiare luce.
Splendent Secundis ominibus, Tuæ
Virtutis in Te fulgida lumina,
Primam Deo donante laurum,
Dum meritò capis & triumphas.
Inter Senatûs lumina VAVELI
Lucens KOMECKI, Sydus amabile;
Chironem Achilles prædicat Te,
Quem Studio ſolido imbuiſti.
Iam Te cathedræ poſcere non ſinunt,
Præſagiunt cûi laudis adoream,
Poſt conſecutam bis coronam, in
Artibus ingenuis Virentem.
Laboris ingens pignus adeſt Tibi,
Ad imbuendam progeniem Lechi,
Magnoq; IVRKOWSKI Vocante
Suſcipis hoc onus in cathedra.
Annis docendo pluribus, hîc Tua
Præclara Virtus enituit, micans
In axe Nouoduorſciano,
Mox properas pede fauſtiore
Ad celſioris culminis & gradûs
Adeptionem: dum Tibi maximum
Sydus fauet KVCHARSCIANVM
Ac regimem Tibi dat Polonæ,

Doctum

Doctum iuuentæ: purpura vbi Sacra
Perenne Nomen Cardineæ togæ
Fecit quod OLESNICIANÆ
Dona refert, pretiosa dextræ.
Dilexit in Te iustitiæ Arbiter,
Iurisq; Summus flos GRABIANOVIVS
Mentis iubar tum singulare,
Egregias animiq; dotes.
Aris Sacratis, cùm voluit Tuas
Dicare curas, dum Tibi munera
Optabat, & mystæ coronam,
Spiritualis opusq; vitæ.
Vir magne, iam Te cætibus inclytæ
Domûs Minoris, consociat parem
Patrum voluntas & Senatûs,
Iam Tua Te probitas coronat.
Hîc iam locato pulchra modestia,
Reluxit in Te, cum sapientiæ
Nitore magno: purpuræ ergo
Apta humeros animumq; cultum.
Et iunge linguæ Graiugenæ decus,
Cuius Professor Tu solidus breui:
Doces virescentem iuuentam
Argolicis dare verba iussis.
Augusta Maior Te vocat en Domus,
Robustiorem quò genium pares,
Ad altiorum tunc laborum
Pondera, laude Tuâ, ferenda.
Auditor optat publicus, hinc suo
Gaudere tanto delicio sophûm,
Cursum Stagiritæ legendo
Colligis emeritas coronas.
Hebræa, linguæ Te docorat quoq;
Palæstra, Sacræ Iessiadum loqui,
Sermone Diuinos placetq;
Ex animo sapiente sensus.
Ornatus inde es murice splendido,
Quater Decanus purpurea in toga,
Præses sophorum, dum gubernas
Sceptra Stoæ, vigil, eruditæ.

Certamen hoc Te viderat arduum,
Virumq; ſenſit: dogmata publica
Dum tradis, & cùm diſputantûm
Difficiles animos reſoluis.
Sic Stagiræ, ſic Aquinaticæ,
Tibi fauebant culmina gloriæ;
Sic victor ibas ex arena,
Dulce canens Studij celeûſma.
Quare cathedris iam Theologicis
Felix dicaris, quæ ſapientiam
Diuiniorem detonare
Aſſiduò didicêre doctè.
Vos roſtra Sacris eloquijs data,
Huius Periclis dicite poſteris,
Suadam piam, ſimul diſertam;
Quâ reuocat populum fidelem
Ad Numen altum. ſcilicet aureas
Oraculorum dicere gratias,
Hic Neſtor & ſacer loquendo,
Viſus erat Cyneas frequenter.
Teſtatur ædes inclyta Martyris
Hoc Floriani, nectare quam ſuo
Demulcet & ſic audientûm,
Corda rapit ſociatq; Chriſto.
Romana ſed mox Heſperiæ petit
Et Vaticanæ celſa potentiæ
Faſtigia & vrbis eminentem,
Fauſtus adit fideiq; Petram.
Hîc claret alti dotibus ingenî,
Hîc Sacra viſit limina ſupplici
Ritu, Theologamq; laurum
Sumit ouans ſapienſq; Doctor.
Sic laureatus Sarmaticis dein,
Ex Vrbe terris redditur, & meæ
Plaudunt Camænæ totq; plaudit,
Io canens numerus clientûm.
Ædeſq; Sacræ ſubſiliunt, quibus
Tot dona ab oris exoticis tulit,
Et oſſa Sanctorum beata,
Gazâ Arabum pretioſiora.

Manum

Manum salutant climata Patriæ,
Hanc liberalem: quam Nasiechouij
Nôrunt Pænates, nouit ædes,
Munifico renouata sumptu.
Meæq; nouit gratia laureæ,
Vtramq; Vates, quam Tibi debeo,
Tuosq; non cessabo sumptus,
Thespiaco memorare cantu.
Nunc ergo Doctor Theologus, Polo
Vicina tollas Sacra cacumina,
Locumq; præcelsum capesse,
Conspicuâ probitate partum.
Iam Te coronat, qui meritis Tuis
Debetur olim, cum titulis honos;
Quaternioni percelebri
Iungeris en columen decorum.
Vates recedo, nunc Heliconius,
Succedat omnis Cælica faustitas,
Horæq; succedant amænæ
Et placidi sine nube soles.
Et mille lætis vndiq; plausibus,
Doctor fruatur, messeq; in aurea,
Metat triumphos gloriosi
Nominis & decus æuiternum.



Aurea Sceptra tenes, Academia, Sydere dextro
Et iungis Sacram fascibus ecce Crucem.
Qui Tua docta Parens violaret iura proteruè
Sacræ vindicias, horreat ipse Crucis.

Franciscus de Garby Modrzewski Tribunides Haliciensis Studiosus Dialectices.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.